



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 240. De bivango tradito in Sulbergiorum marca.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno

844 usque

877 re-

gnante

Hiludo-

uico et

bernold ghermer adilmer folcbert gherhard alza occo hrodgher.

§. 240.

Tradidit eilbert tertiam partem de quodam biuango in suilbergiorum marca (U) testes eisulf odulf bernhard odric thiodric helmold bernold ghermer adilmer folcbert gherhard alza occo hrodgher.

§. 241.

Tradiderunt ragenoldus et hunoldus pro anima fratris sui (V) adal-

dac

detur quidam nomine *Derling*, qui a Teutone, communi patre Germanorum, eiusque filiis originem videtur duxisse.

De Suil-

bergio-

rum mar-

ca.

(U) *Suilbergiorum marca* sine dubio hic ponitur pro pago *Suilbergi*, intra comitatum Dasselensem ac ad saltum Sollinganum reperiundo, de quo exposuimus supra §. 167. *Marca* probabiliter nominatur hic pagus, quia ibi limes praefato erat *Angaria orientalis*. An vero comites, qui eidem praefvere marce, dicti sint, *Margraui* seu comites limitanei, alias perquirendum relinquimus.

Origines

comitum

Olden-

burgico-

rum, du-

cum

Holstiae

et regum

Dano-

rum.

(V) Cum *Ragenoldus*, *Hunoldus* atque *Adalda* fuerint fratres, et in villa *Rottingun*, quam Registrum Bonorum et Prouentuum A. C. ponit in pago *Leri*, quædam tradiderint, probabilissimum indicatur viderur, eos ad gentem *Widikindeam* spectasse. In eodem enim pago *Leri* familia *Widikindea* bonis hereditariis gauisa fuit, vt supra §. 104. demonstrauimus. Inter testes reperitur quidam *Almer*. Quod nomen cum contractum sit ex *Agilmer*, fortasse is idem *Agilmarus* est, qui supra §. 234. inter testes *Alfrici Widikindei* appetit. Hic probabiliter *Alfrici consanguineus* fuit, vt reliqui l. c. adhibiti testes. Potuit ergo ille *Agilmarus* esse vel frater, vel consanguineus *Ragenoldi* atque *Hunoldi*. Viderur is *Agilmarus* fuisse *Engilmarus*, de quo loquuntur Traditiones Fuldenses p. 313 num. 19, et p. 316 num. 74 his verbis: *Ego Engilmar de Westeriche trado S. Bonifacio proprietates meas in villa Humkufe XXX boum terram*. Et: *Ego Engilmar et Goltgart uxor mea tradimus ad S. Bonifacium in Fuldensi monasterio in pago Westrabe in villa Hintinlofe XXX boum terram cum XVI mancipientibus*. Quemadmodum enim villa Hintinlofe est oppidum Hindelopen, situm ad mare dictum de Zuder Zee, ita negari non posse censemus, eundem *Engilmarus* ad gentem *Widikindeam* spectasse, quippe que eadem in regione bona hereditaria possedit haud vna. Quamvis vero *Agilmarus* ille frater *Hunoldi*, siue minus, fuerit, negari tamen non poterit, *Hunoldo* fuisse filium, nomine *Wulfarium*. Infra enim §. 359. reperimus *Wulfarium* quendam, pro anima patris sui *Hunoldi* in pagi *Leri* villa *Gnidun* bona quædam tradentem, quem *Hunoldum*, vt e situ *Gnidun* villa appetet, eundem fuisse putamus, qui, hoc nostro loco teste, frater erat *Ragenoldi* atque *Adalda*. Quis vero sator horum dominorum fuerit, id satis in obscuro latet. Quantum e locorum situ et nominum similitudine conclusimus, arbitramur, patrem *Hunoldi*, *Ragenoldi* atque *Adalda*, fuisse *Hunoldum*, qui, testante §. 8, circa annum 823 in villa *Fuim* in pago *Laingo*, qui pago *Leri* erat contiguus, bona quædam ecclesiæ Corbeiensi tradiderat, quem *Hunoldum* plura bona in eadem regione tenuisse, negare poterit nemo: quia probabile non est, *Hunoldum* eodem tempore omne patrimonium suum largiendo effudiisse. In Saxonia nostra Adelingis *Hunoldum* istum, quem primum nominare volumus, referendum esse, nemo facile incisiabitur, quia eo tempore homines fere nulli, nisi Adelingi, bona hereditaria in nostra Saxonia possederunt. Parer ergo *Hunoldi*, quem ante tempora Caroli M. vixisse oportet, opibus ac seruis suis summo cum imperio præfuit. Ante Carolum M. enim Saxonici Adelingi nullum habebant regem vel cæarem. Fortassis autem *Hunoldus* iste ex eodem sanguine, quo Widekindus M. erat ortus, fuit progenitus, eiusdemque patrui filius fuit, quia in eadem regione, in qua Widekindi posteri sua tenuerunt bona, et ipse sua possedit.

Helmold et Uffo, qui in pago *Leri*, testantibus §§. 27 et 35, bona quædam tradiderunt, *Hunoldi* I fuisse fratres videntur. Cumque *Eilbardus* quidam in eodem pago *Leri* et in eadem villa *Hundloun*, in qua *Helmoldus* quædam tra-

dide-